



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

145. An irregularitas homicidij tollatur per Baptismum? Et an per Baptismum tollatur omnis irregularitas præsenserquam ea quæ contracta est ex defectu Sacramenti, vt bigamia? Ex p. 4. tr. 2. res. 51.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

ninō diversa, & propter eorum qualificationem debent necessario exprimi. Ob quam rationem sub dispensatione etiam generali ad quaecumque Beneficia non comprehenduntur; uti advertit Barbosa *dicta alleg. 45. num. 8. & 9. Sayrus, capit. 10. numero 26. & 27.* Nec sua dispensatione ad Dignitates comprehenditur dignitas major Ecclesie Cathedralis, & principalis Ecclesie Collegiatae. Et hæc omnia docet etiam Castrus Palas *tom. 6. disp. 6. punct. 9. n. 5. qui n. 13.* docet etiā quod si illegitimus non dispensatus ausus fuerit celebrare in ordinibus susceptis, et si gravissime peccet, nullam tamen irregularitatem denud contrahit, quia nullibi est statuta, Sicuti non est statuta servis, & corpore vitatis, eo quod absque dispensatione ordinati, in susceptis Ordinibus ministrant, non enim ob violationem irregularitatis irregularitas contrahitur. Sicuti tradit Innocentius in *cap. si celebrat, numero 3. de Cleric. excommuni. Ministr. Navarrus, cap. 27. n. 153. & 194. Gregorius de Valentia, tom. 4. disp. 7. quæst. 19. part. 2.*

RESOL. CXLV.

An irregularitas homicidij tollatur per Baptismum?

Et an per Baptismum tollatur omnis irregularitas præterquam ea, quæ contracta est, ex defectu Sacramenti, ut bigamia? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 51.

§. 1. **M**Ordicus negativam sententiam tenet Vgolinus *de irregul. cap. 56. §. 7. n. 4.* ubi ex pluribus rationibus illam conatur defendere, sed adversus illum insurgit Villalobos *tom. 1. tract. 21. diff. 7. num. 2.* ubi sic asserit: [De la irregularidad que nace del homicidio cometido antes del baptismo ay dificultad. Vgolino dice que no se quita por el baptismo, que este solo quita la culpa y no la irregularidad, mas la contraria sentença tien en casi todos y consta de un testo cap. si quis vidua dist. 50. aunque no es muy fuerte, porque se trahe por argumento a contrario sensu. Y aunque estando in puncto juris se podria defender loque dize Vgolino mas esta es mas probable y se ha de seguir en practica.] Ita ille. Vide etiam Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. 20. num. 64.* & novissimè Ioan. Honorium in *compend. juris canonici. lib. 5. tit. 39. num. 111.* ubi sic ait: Tollitur Baptismo omnis irregularitas etiam ex homicidio contracta, præterquam ea quæ contracta est ex defectu Sacramenti, ut bigamia. Ita ille, & novissimè Petrus Cornejo in *3. part. D. Thomæ tractat. 5. de irregul. disp. 1. dub. 4. q. 5.*

RESOL. CXLVI.

Quædam notabilia circa irregularitatem bigamiam.

Et inter alia, quæ inferuntur, & explanantur circa hoc, tandem queritur pro praxi, an ducens feminam a se desolatam incurrit irregularitatem? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 38.

§. 1. **A**N laicus bis contrahens, sed cum altera, vel cum utraque invalidè, aut invalidè contrahens cum vidua, efficiatur irregularis, non constat apud DD. nam aliqui in omnibus his casibus affirmant, alij in quibusdam, in aliis negant; sed, ut verum fatear, nemo jus aliquod adfert, quo illo ex his casibus irregularitatem contrahi clarè probetur. Hinc inferitur primò laicum contrahentem bis invalidè, non esse irregularem. Secundò si eundem contrahentem secundum matrimonium, aut cum vidua, neque etiam in irregularitatem incurtere. Inferitur tertio etiam laicum contrahentem secundum matrimonium invalidè ob alium defectum minime irregularem esse, & hæc omnia docet Coninch *disp. 18. dub. 11. nm. 101.* licet

hoc ultimum cum aliqua formidine asserat: verum illud docet Hurtado *disp. 2. de irregul. diff. 13. n. 41.* Vide etiam ad supradicta stabilienda Avilam *parte 7. disp. 8. dub. 1. & 2.* cum Henriquez *lib. 12. cap. 6. numero 9.* Turriano de *consens. libro 9. disputat. 70. dub. 2.* & Præpositus in *3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 7. num. 135.*

2. Notandum est hic obiter pro praxi, quod ducens feminam a seipso de floratam non incurrit irregularitatem. Ita contra non paucos, docet ex Sanchez *ca. 1. de irregular. Turrianus loc. cit. & Præpositus in 3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 1. num. 133.* cum Petro Cornejo in *3. part. resolut. tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. num. 4.* & ratio est, quia in tali casu neuter dividit carnem suam nec verè, nec interpretativè, cum illa non fuerit a pluribus cognita, sed ab uno & eodem,

RESOL. CXLVII.

An qui fornicatus est cum femina, si illam postea in uxorem ducat, possit fieri Clericus conjugatus? Ex p. 7. tract. 12. & Misc. 3. Resol. 19. alias 17. §. Ad faciendum.

§. 1. **V**idetur prima facie negativè respondendum, Sapienter quia talis est bigamus; Etenim non solum sibi, sed ad vitandam bigamiam requiritur etiam, quod sit virgo, tempore, quo contrahitur matrimonium; ergo si ve a se, live ab alio prius corrupta fuerit, deficit ratio sacramentalis significationis; nam sponsa significat Ecclesiam, quæ est virgo non habens maculam, neque rugam, ad *Ephe. 5.* Hoc inquam non officit. Et ad Antecedens respondetur distinguendo illud; Requiritur quod sit virgo quantum ad effectum, ut non dicatur corrupta, aut cognita ab alio, concedo Antecedens; Requiritur quod sit virgo, tempore quo contrahitur matrimonium, id est non cognita, neque etiam ab eo, cum quo contrahitur, nego Antecedens, quia hæc ut supponitur nunquam divisit carnem suam in plures; unde in hoc matrimonio salvatur ratio sacramentalis significationis: est enim matrimonium unius cum unica, quæ carnem suam non divisit in plures.

2. Dicendum est igitur in tali casu Clericum illum non esse Bigamum, & irregularem, quia non divisit carnem suam in duas, nec illa in duas, cum ab uno tantum cognita sit; ergo benignè interpretando. Hic dicitur Virginem duxisse uxorem, qui a se ipso corruptam in uxorem duxit. Nam illa nulli alteri, nisi uni, corporis sui potestatem tradidit. Ita præclare D. Thom. *3. part. in Add. quæst. 66. art. 3. ad 2. Sylvest. ver. Bigamia, num. 1. vers. 7.* Vide Sayr. de *Consens. lib. 6. cap. 4. num. 17.* Stephanum Baunium in *Theolog. Moral. tom. 2. tract. 11. q. 13.* Ioann. Præpositus in *3. part. q. 5. de irregul. dub. 7. num. 133.* & Sanchez *lib. 7. disp. 84. num. 14.*

RESOL. CXLVIII.

An Clericus secularis sacris Ordinibus initiatus, si contrahat cum Virgine incurrat irregularitatem bigamiam, vel an bigamia similitudinaria tantum contrahatur, quando quis post votum solemne castitatis contrahit matrimonium, quatenus cum Virgine, quæ tantum locum habet cum Religioso, & non cum seculari in Sacris initiatio? Ex p. 4. tractat. 2. Ref. 39.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Petrus Cornejo in *3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. quæst. 5.* Avila *part. 7. disp. 8. dub. 1. n. 4.* Præpositus in *3. part. quæst. 5. de irregul. dub. 8. num. 136.* Toletus *lib. 1. cap. 26. num. 7.* Valentia *tom. 4. disp. 7. in p. quæst. 19. punct. 3.* Emanuel Sà *ver. irregularitas, ubi de bigamia*